

[Faint, illegible handwriting on aged paper]



omiss.
119.
M
16751
1-

DISSERTATIO POLITICA
DE
CONSILIARIIS.

QUAM
DEO ANNUENTE AC PA-
TROCINANTE,

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo

DN. HENRICO à CAPPELN

J. V. D. Instit. & Pol. in Illustri Anhaltino

Lycæo P. P. meritissimo

Ventilandam sistit

JOACHIM EHRENREICH KATTE.

Nob. Magd.

ad Diem Septembr.


Horis locoque consuetis.



SERVESTÆ,

Excud. JOH. ERN. BEZEL. M DC LXXV.

Forsell



I. N. J.

P R Æ F A M E N.



Hoc senescente mundi seculo omnia in transversum abripi satis abundè constat, dolendum verò præprimis, quòd quilibet vel infimæ notæ ruricola ingenium stylumque non sine ira ac studio exacuere audeat, in examinandis rebus iis, quæ ad captum suum minimè accommodatæ, ut plurimum verò de actionibus civilibus, præter quas nihil tantopere censuris expositum videtur. De quo etenim frequentiora, quàm de Consiliariis; & personis, qui publicis officiis præsent, audiuntur judicia? Quis non sibi imaginatur de consiliis, inceptis ausisque Principum ac Rerumpub: judicare? Nullus ferè otiosorum hominum cœtus invenitur, qui licèt familiam rectè administrare, liberosque rectè educare haud possint, attamè hujus aut illius Principis, Regis, imò & Imperatoris consilia & actiones reprehendere non erubescunt. Nullus ferè in Curia aut foro invenitur Conventus, in quo non de Principibus aut Electoribus Imperii, deque
A 2 horum

horū Ministris, de Bello aut Pace, de Fœderibus &c. Sermo-
nes fiant. Haud in officina Tonsoris barba refecari pot-
est, quin & novacula personas illustres tangat. Haud scy-
phus potest evacuari sine censura Ministrorum publico-
rum, imò & Principum! Nec & in Mulierculorum con-
ventu loquacitas Ministris & Principibus parcit, quæ ta-
men magis ex simplicitate quàm arrogantia peccant. At
aliud genus hominum invenitur, quorum intempestiva ju-
dicia nulla ratione obvelari possunt. Nonnulli natura
aliquid admiscente pro prudentibus statim se venditant,
putantque neglectis aliis rebus solam ingenii sagacitatem
prudentum propositis perspiciendis sufficere. Nonnulli
postquam generale aliquod axioma, & hoc illudve præce-
ptum obiter hauserunt, unicam aliquam Academiam visi-
tarunt, aut triginta vel quadraginta miliaria germanica
peregrinati fuerunt, aut hunc vel illum historicum per-
functoriè, nec quidè secundum prudentiæ regulas perlu-
strarunt, sibi imaginantur, se prudentum consilia actiones-
que Regum summo jure censuræ subicere posse. Cum
iamen vera huic arti destinata media ne limis quidem
aspexerint oculis. Nonnulli privatas alicujus Civitatis le-
ges in memoria habentes autumant, se veram deglutisse
scientiam regendi Resp. deque negotiis publicis judicium
ferendi. Hinc ejusmodi homines audimus summa cum
audacia ac confidentia de Imperatoris, Hispanorum, Gal-
lorum, Anglorum, Svecorum & Danorum, aliorumque
Regum, Principum ac Rerumpub. Consiliis differentes
ac si secretis in eorum Consiliis votum habuissent. Quis
non horum de causis prorogationis Comitiorum Ratis-
bonensium, deque illorum exitu ineptit? Quis non de
Procerum Germaniæ animis philosophatur? Quanta
vero

verò rerum humanorum notitia requiratur ad talium vi-
rorum actiones tot ambagibus, tot simulatis artibus, tot
ludificationibus involutas examinandas; iis, qui ætatem in-
geniique vires illa in scientia consumpserunt, iudicandum
relinquimus. Sicuti verò hæc Vanæ præcipitantia
nullique vero fundamento innitentia iudicia rejicienda,
risuq; excipienda, ita absq; ulteriore præloquio ad mate-
riam nostram de Consiliariis pro ingenii imbecillitate de-
pingendam procedimus. Deum vero Optimum Maxi-
mum, ut finem & Scopum ex voto consequar, supplex
oro.



A 3

I.N.D.

I. N. D.
DISPUTATIO
DE CONSILIARIIS.
THESIS.

I.

Sicuti in rebus privatis rarò nobis ipsi consulere possumus, ita ut & Sapientissimus quisque aliorum saepe Consilio opus habeat; ita multò minùs consilio aliorum carere poterunt Principes, quibus multæ provinciæ & infinita negotia commissa sunt. Neque enim uti dicit *Didacus SAVEDRA in Idea Principis Christiano-Politici Symb. 155. §. Istis oculorum affectionibus: ibi. Neq; enim Princeps ullus tanta pollet sapientia, ut per se ipsum omnia quæ occurrunt, possit decidere. Et si quis Princeps tam acutos sibi oculos existimaverit, ut absq; aliorum opera solus videre omnia & dijudicare posse confidat, is superbus potius erit, quàm prudens, & ad quemvis passum in gubernatione offendet.* Etenim non tanta est naturæ capacitas, ut ad Imperium quantumvis exiguum, ea sola sufficiat. Nemo enim solus sapit, neq; in uno solo reperiri possunt omnia, quæ sciunt omnes. Unum solum ingenium unam sequitur ratiocinationem, neque enim uno eodemque tempore plura potest intendere & illius amore captum ulterius progreditur, quo pacto enim uno tantum ingenio, cuncta quæ sunt regibus excogitanda, provideris? aut unius oculis omnia, quæ in Republica diligenter sunt speculanda, cerni, aut unius auribus, omnium postulata & querelas audiri, aut unius manibus res innumera-

mera-

merabiles effici & ad exitum perduci possunt? *Prov. c. 2. v. 14.*
Nec enim Princeps ullo modo pacem, vel in bello Victo-
riam consequi, vel in pace dignitatem tueri, vel in negotio
callidè versari, vel in otio tranquillitatem retinere pot-
est, qui non est bonorum Consiliariorum comitatu cir-
cumseptus. Vid. *Osor. Libr. 6. de Reg Instit.*

T H E S.

II.

ET propterea ex historicis tam sacris quam prophanis
notum, optimos quosque Principes Consiliariis stipen-
ditos fuisse: tanta enim est Consilii tum dignitas tum ne-
cessitas in Republica, ut absque illo consistere non possit.
Hinc quoties Deus ter Optimus Maximus Politiam ali-
quam florere voluit, dedit illi heroicis viros, sapientes,
justos ac fortes. Tales habuisse legitur David *1. Chronic.*
cap. 12. Salomon & Rehabeam *1. Reg. cap. 12. v. 6.* Pharaon
Genes. cap. 41. vs. 8. Nebucadnezar, Daniel. *cap. 2. v. 48.* Da-
rius, *Daniel cap. 6. v. 12.* Contra quando Deus voluit punire
Regnum, præclaros viros Consiliarios & sapientes illius
prius sustulit. *Esa. cap. 2.* & testatur exemplum Joasch dege-
nerationis post obitum Jehoadah Consilii *2. Reg. cap. 12.*
Caligulae, Neronis, Bassiani, Maximini & aliorum. *Liv. lib. 1.*
tradit. ob spretum Senatus consilium Tarquinium Re-
gem expulsam. Sciendum enim est, dicit Arniseus *lib. 1.*
Politicorum cap. 1. nonnulla Reipubl: officia ita necessa-
ria esse, ut carere iis non possit, quæ idcirco ordinaria sunt
& legibus definiuntur. Alia vero extra ordinem impe-
rantur ad explicanda ea, quæ præter spem incidere solent.
& Tacitus dicit: In summa fortuna pleraque auspiciis &
con-

consiliis quàm telis & manibus geri. Et quòd Roma tam-
diu floruerit, plerique unicam causam fuisse crediderunt,
quòd, qui arduis rebus præpositi, non sua sed Senatus con-
silia secuti sint, Vide Hippolitum à Collibus *in tract. de con-*
siliis Principum in pr. Senec: de benefic. 16. cap. 32. Nullum enim
majus boni Imperii instrumentum, quàm bonus Consilia-
rius, qui non immeritò pacis decus vocatur. Tacitus *lib. 4.*
Hist. Rectius peragit (dicit SAVEDRA *allegat. Symb. 55.*) *omnia*
Princeps etiam ignorans, qui Consilio utitur, quàm alius intelli-
gens in opinionibus suis obstinatus & pertinax. Neque enim
profectò minor laus est dimittere sese ad aliorum Consili-
um inquirendū, quàm ex se ipso rectissimè aliquid facere.
Irritæ sunt cogitationes, cum deest Consilium, at in am-
plitudine Consiliorum assurgit cogitatio *Proverb. cap.*
20. v. 18.

T H E S.

III.

SI ergo Resp. feliciter administrari debet, quod tamen
semper pro fundamento ponendum, Consiliarius in re-
gimine publico est instituendus. Quemadmodū enim ma-
nus in digitos divisa firmior ad res comprehendendas &
commodior est, sic in administranda Rep. socios, adjuto-
res, & Consiliarios adhibens meliùs & prudentiùs guber-
nat: & quidem eò magis, quoniam omnes Resp. variis sunt
obnoxia insidiis: quod eleganter Hannibal Carthaginensis
supremus belli dux in oratione ad Scipionem Africanum
demonstrare videtur. *Uti nulla, dicit, magna Civitas diu*
quiescere potest, si foris hostem non habet, domi in venit ut præ-
valida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsis
viri-

viribus onerantur. Quod & Plato de L. L. confirmat: *Quem admodum, inquit, navis in medio mari noctes diesq; custodibus indiget, ita quoq; Civitas in medio aliarum Civitatum veluti in fluctibus constituta, variis insidiis obnoxia in eo est statu, ut ne capiatur, maximum sibi impendeat periculum.* Idcirco & ex die in noctem & ex nocte in diem sibi succedere invicem Custodes oportet, ut perpetuæ excubiæ indefinenter servantur.

T H E S.

IV.

Sunt autem eligendi Consilarii, qui sunt Viri boni, ac probi, eruditi, fideles, Secretorum studiosi, non Juvenes, sed idonei, ut Principibus salutaria de Rep. prudenter & fideliter suggerere possint. Cum enim nulla Resp. salva esse possit, nisi virtute tanquam fundamento nitatur, ideo in Consiliario primum & necessarium requisitum poni debet, quod debeat esse Vir bonus, qui scilicet quovis virtutum genere præ reliquis emineat; *Sine virtute enim, inquit Arniseus in Relect. Polit. lib. 2. c. 4. sect. 3. n. 35. impossibile est ullam Reip. partem bene posse administrare. Quis enim, ut loquar cum Ambrosio lib. 2. off. cap. 12. in cœno fontem requirat, quis de turbida aqua potum requirat, quis utilem judicet cause alienæ, quem videt inutilem Vitæ suæ? quomodo potes eum judicare consilio superiore, quem videas moribus inferiore? Crede, fieri non potest, ut qui probrosam & voluptuariam vitam traducit, viro aliquid dignum vel consultet vel agat, dicebat olim Caesar Aug. Orat. in Marcum Anton: apud Dionem lib. 10. Qui Consiliarium dare volet, alienâ à vitiis custodire debet prudentiam, quia nihil inquinatum incurrit in illam.* Amb: lib.

lib. 2. offic. cap. III. Sic Moses jubetur eligere viros graves, timentes Deum, qui oderint avaritiam, & in quibus sit veritas. Exod. cap. 18. 21. 22. Deut. cap. 1. Num. cap. II. 16. Oculi mei attendent ad veraces terre, ut consideant mecum: ambulans via integra, is mihi ministrabit Ps. 101. v. 6. Porro eruditos diximus eligendos esse Consiliarios. Vid. Schertzer. in disput. de Conf. T. 33. Publico enim interest officiis ac dignitatibus tam in militia togata, quam sagata non alios præfici, quam qui rebus gerendis satis idonei; qui enim consilium de Rep. dare debet, etiam scire debet quid sit Resp. Cicero 2. de Orator. Vid. Heiderus in Philosophia Polit. System. pag. 402. Hinc Tacit. in Agric. morum animorumque provinciarum gnaros etiam esse Vult Consiliarios. Nemo enim de iis rebus sapienter differere, aut aliis rectè consilium dare valet, qui non novit. Regiis enim artibus præstet, opus est, qui Regnum est consilio adjuturus: convenit enim virtutum præmia tribui merentibus, uti Imperatores rescribunt in l. f. C. de statuis & imag. Fidelitatem deinceps requirimus in Consiliario, in iis enim hominibus, qui ad ardua tendunt, & aliquem dignitatis locum obtinere cupiunt, maximè fidelitas & ingenii dexteritas requiritur: de quo Abas verus Fritschius in suo tract. de peccatis Ministrorum conqueritur, quando dicit: Tristis experientia in Germania nostra hætenus docuit, dum in nonnullis Principum aulis reperti & adhuc reperiuntur, qui clam Principibus suis pensiones annuas, ac munera regia accipere non dubitarunt. Quantum alieno auro in Germania effectum fuerit, in propatulo est. Taciturnitatem quoq; desideramus in Consiliario. Res enim magnæ, uti inquit Curtius lib. 4. non possunt sustineri ab eo cui tacere grave est. Optimum enim & tutissimum rerum administrandarum vinculum atque præsidium taciturnitas est. Qui revelat arcana amittit fidem. Prov. c. 25. v. 3. Valer. Max. lib. 2. c. 1. Unde illud Poëtæ: Exi-

*Eximia est virtus prestare silentia rebus,
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.*

Unde & Consilarii Silentarii dicti notante *Adamo à Cotzen* in *Polit. lib. 6. cap. 13. n. 7. Vid. Felbinger. de Consiliar. disp. 1. Thes. 16. Andreas Schottus tr. de bono Silentii lib. 2. c. 9. Schütz. de recta silentii ratione.* Sic arcana Regum Persarum mira fide celabantur, adeo ut nec metu nec spe ad arcanorum prodicionem compelli possent. *Vid. Petr. Gregor. Tholos. de Repub. lib. 24. cap. 1. l. si quis 38. §. Transfuge ff. de pœnis l. omne 6. §. explorat. ff. de militas; Val. Max. lib. 2. c. 2. Gell. lib. 1. cap. 23. Boter. de Polit. constit. lib. 2. cap. 5.* Licet autem taciturnitatem quoad arcana desideremus, illud autem eo extendendum non est, quod in suppeditandis Consiliis Placentinus esse debeat, & tacendo consentire; & propterea hac in parte rejiciendum est proverbium Germanicum: *Mit stillschweigen könne man viel beantworten.* Qui enim Principi est à Consiliis, is loquatur libere quod res est, magis Dei quam Principis sui iram metuens. Qui autem docendo aut alio modo injustas sententias approbat, is in eodem peccato est cum eo, qui talem sententiam pronunciat. *Vid. Schütz. in comment. de recta silentii ratione c. 3. Hippolit. à Collibus in suo Consiliar. & propterea Francisc. de Almeida in suis apophthegm. inquit, Peccatum esse, ferè proximum illi, quod committitur in Spiritum sanctum, in Consiliis dandis aliter suadere, ac sibi justum bonumq. esse videatur.* Ultimò diximus, quod non juvenis eligendus, qua autem ætate cum fructu legendus sit Consiliarius, inter Doctores disputatur, alii enim post annum ætatis decimum octavum posse aliquem munere Consilarii fungi statuunt. Ita Nervani juris-consultum de jure respondisse legimus anno ætatis decimo septimo. *lib. 1. §. 3. ff. de postul. Idem fecisse Bartolum & Baldum refert Angell. ad l. 1. §. initium ff. de postul.*

stulat: Et Celsus qui aliquoties in Jure Adolefcens appellatur de Jure respondiffe fertur, *l. 18. §. 3. ff. de V. O.* Verum enim verò quoniam exempla hæc rara sunt, majorem ætatem plerique defiderant, & quidem ad minimum viginti quinque aut triginta annorum, hoc enim tempore in homine incipit perfectum judicium: *Vid. Cujac. in Comment. ad titulum de in integr. restit. in pr. Philipp. in tract. de Consil. Princip. Rutger Ruland. in tr. de Comitibus. pag. 1. lib. 1. c. 12. n. 2. Castellan. lib. de Offic. Regis. c. 58.* Adolefcetes enim animi plerumque parum providi, iique molles & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur, *uti ex Salust. allegat Lips. de Civil. doct. lib. 3. c. 4. & uti refert Heider. in Philosoph. Polit. Systemat.* Qui 30. annis juniores, experientia destituti sunt ac vitiis naturæ quàm maximis obnoxii, perturbationibus animi concitatoribus, calore juvenili, præcipiti temeritate, inflato spiritu debitam gravitatem servare inscii.

T H E S.

V.

Decrescentem ætatem quod attinet, plerique Politici majorem non putant idoneam esse Consiliario, quàm si sit Sexaginta aut ad summum Septuaginta annorum, vix tamen hæc ætas huic provinciæ par est, cum ad labores perferendos minus sit idonea. Senes enim infirmi dicuntur *in l. 122. pr. ff. Leg. 1. & in cap. magna X. de vet. & ut Aristot. l. 5. de generat. anim.* Senectus per se ipsa est morbus naturalis, & non transiens, sed permanens & insanabilis, uti *Seneca* loquitur. Cumq; in Consiliario maximi labores & plenæ difficultates requirantur, propterea resignare solent quam plurimi, si ad tantam ætatem pervenerint, post-

posteaq; Civitatem Imperialem vel Tusculanum aliquod
 quærere aut eligere ubi tanquam emeriti, sibi potius vive-
 re incipiant, soliusq; animæ salutis curam gerant. Hinc Se-
 nibus tanquam emeritis beneficia, honores, vacationes
 munerum tribui à legibus videmus, Quæritur autem
 an sene cum illo qui sit virilis ætatis concurrente, hunc vel
 illum Princeps eligere debeat? Respondemus cum *Rutger.*
Ruland. in tr. de Commiss. & Commiss. p. 1. l. t. c. 12. in fin. quòd,
 cum maxima perspicacia & labor in hoc munere desidera-
 tur, quibus illi, qui virili sunt ætate, antecellunt senioribus,
 & quòd plures defectus ad hanc provinciam pertinentes
 in Senectute quàm in virili ætate reperiantur, idcirco hanc
 præferendam esse existimamus. Referente enim Cicerone
 ab excellenti eximiaque virtute progressum ætatis non
 oportet expectari, quia ibi perfecta est ætas, uti perfecta
 est virtus. *Ambros. Orat. in ob. Theod.* unde præclarè *Scipio*
Africanus objicienti populo, quòd juvenis ad honores
 provectus esset, respondit: Si vos ætatem meam honori-
 bus vestris & ego honores vestros virtute præcessi. Et
David, Senibus prudentior sum, quia mandata tua custodio
Psal. 119. v. 100.

T H E S.

VI.

Licet autē Consiliariū, ob ætatē decrepitā dimissionem
 apud Principem petere posse concedamus, attamen
 ob levem offensam, umb eine geringe Ungunst / aut leve
 aliquod incommodum officium suum deserere minimè
 probandum est. Fortis enim animus levicula & minima
 curare non solet, quæ ipsi in munere rectè obeundo non

nocent. *Vid. Abasv. Fritzi. in tr. de ministro peccante Con-*
clus. 50. Sic aliquando Senior aulicus interrogatus, quo-
modo tamdiu in aula vitam transigere potuerit, responsi-
onem dedit: Injurias ferendo & gratias agendo. Cum
enim nihil incommodo humanâ in vitâ careat, ita etiam
Consiliarius absque molestiis officio suo præesse vix pot-
est.

T H E S.

VII.

AD Remp. autem bene ac feliciter gerendam necessaria
etiam sunt, Scientia earum rerum, quæ in omni gene-
re Principatus ad Imperii magnitudinem & conservatio-
nem pertinent. Et propterea primùm necessarium erit,
ut Consiliarius sit bonus Theologus, nam cum impietas
omnem peccandi merum evellat & consilia impiorum
fraudentia sint, sequitur religionis contemptum Rerump.
eversioem offerre. *Middendorph. in qq. Polit. 72. interpret.*
q. 1. Non sufficit autem Consiliarium nomine tantùm bo-
num esse Theologum; sed ex animo religioni addictus,
vita ac precibus Deum colere debet, ita ut suo exemplo re-
liquis in vitæ pietate, justitia, vitaque sanctimonia præluce-
at. Experientia enim docet, unius pii ac fidelis ministri
opera Remp. sæpe florentem redditam & à periculo ruinæ
conservatam fuisse, quod exemplis Josephi & Naemanis
probat. *Reinking in Polit. Biblic. axiom: 81.* Non enim pot-
est consilium de rebus magnis inire, qui mentem castam &
divino splendore collucentem non habet. Omne liqui-
dem verum lumen quod administrationem commovet &
amorem conciliat, in religione situm est. *Hippol. à Collib.*
in

*in tr. Princip. v. 6. Vid. Abasv. Fritschii in tr. de peccatis Mini-
 strorum Principis Concl. 3. 12. 13. & multis aliis & præprimis
 Conclus. 39. ubi ita conqueritur: Videmus tamen corru-
 ptissimo hoc ævo in nonnullorum Principum Christia-
 norum aulis adhucdum foveri & in administratione esse
 homines nullius religionis, cauteriatam conscientiam ha-
 bentes, & à sincera pietate ac Christianismo prorsò alienos
 quique non verentur sæpe cum gravi præsentium scanda-
 lo in mensis Principum de Christiana religione pessimè
 sentire ac loqui, ita ut parùm absit, quin atheismum apertè
 profiteantur, quibus tamen summa & præcipua Reip. ne-
 gotia gerenda creduntur. Vid. Reinck. alleg. Loc.*

T H E S.

VIII.

HOc igitur primo loco positum, Consiliarium pium at-
 que bonum debere esse Theologum, sequitur ut & sit
 optimus Jurisconsultus, est enim senatoria quædam pars
 juris publici ac privati, uti ait *Plin. lib. 8. Epist. 14.* Quam ob
 causam Juris Civilis scientiam plurimi & maximi professi
 sunt, qui in magno dignitatis splendore apud Populum
 Romanum fuerunt *leg. 2. §. Juris Civ. ff. de orig. Jur.* Unde
 Jurisconsulti amici vocantur & Patroni Principis *leg. Di-
 vi Fratres 17. ff. de Jure Patron. l. secundum 4. C. de contrah.
 & Comit. Stip. l. quicquid C. & advoc. divers. Jud. l. 1. C. & ob-
 ses. & domest. & passim in Jure nostro, Excelsi, Gloriosi, Ma-
 gnifici, Splendidissimi, Clarissimi, Prudentissimi, inclytæ
 recordationis, optimæ memoriæ ab ipsis Imperatoribus
 vocantur *l. 4. C. de Vet. Jure enucl.* Quomodo autem quis
 sacerdos justitiæ potest appellari justitiamque admi-
 nistra-*

nistrare, qui ignorat quid sit justitia, quid justum inju-
stumque?

THESIS

IX.

Huic rectè subjicitur cognitio historiarum quæ & ne-
cessaria in Consiliario, hanc enim Cicero vocat testem
temporum, lucem veritatis, vitæ memoriam, magistram
vitæ, nunciam vetustatis. In historiis enim veritatis ac
prudentiæ sapientiæque principia recondita esse tradit
*Rudger. Ruland. in tr. de commis part. 1. Lib. 1. c. 18. Hipp. à Col-
libus in tr. de arte Juris lib. 1. tit. de Principe externo.* Unde
enim melius Fortitudinem, Fidem, justitiam, Continenti-
am, Frugalitatem, contemptum doloris ac mortis, quàm
ex historiis cognoscimus. Et cum thes. 4. diximus Consiliarium
egregiis virtutibus ornatum esse debere, quid
quæso aliud historia, quàm pictura quædam, quæ præstan-
tes viros nobis imitandos ob oculos ponit? Et quis nescit,
ad Consultationem res gestas utilissimas esse, siquidem ut
plurimum præteritis futura sunt similia, unde verissimè
Isocrates: *Si præteritorum meminervis, de futuris & rectius
deliberabis.* Quo respexit Seneca, cum dixit: Consilium
futuri ex præterito venire. Sic & cum Consiliarium LL.
debere esse peritum Th. præcedente dictum: jam perquam
notum LL. nihil aliud esse, quàm historiam, quæ continet
sententias ac opiniones antiquorum & prudentum homi-
num, quibus Resp. constituerunt ac cives in pace ac virtu-
tis Cultu continuerunt. Imò Jurisconsulti magnam
vim historiæ tribuunt, ut & historias & annales vim pro-
bandi obtinere velint. *Bl. ad l. 1. ff. de offic. questor Mascordus*
¶

Et probus Conclus. 287, Rol. à Vall. Conc. 2. n. 60. Vol. 1. Menoch. Cons. 1. n. 272. Et historias in multis notorium inducere probat ex *Bald. Mascard. dicta concl. n. 6. Et Rutger. Ruland tr. de Commis. Et Commis. par. 1. l. 1. c. 18. n. 12.* Cum historia- rum notitia etiam conjungimus eloquentiam: non enim satis est, Consiliarium scientiam habere, nisi insuper sciat bene eloqui. Hinc apud Romanos, quantò quisque plus dicendo poterat, tantò plus apud Principes gratiæ, plus au- thoritatis apud Patres, plus notitiæ ac nominis apud Ple- bem parabat.

T H E S.

X.

SOlet autem inter Politicos moveri quæstio, quàm eli- gendi Consilarii? an illi qui subtili, raro atque excel- lenti ingenio pollent, an verò qui præstanti, attamen me- diocri ingenio præditi sunt? Resp. Nonnulli autores ra- rum desiderant ingenium uti *Plato, lib. 6. de Republ. Furi: Ceriola in tr. de Consiliar; Princip. n. 2. Bartholom. Phil. 7. Cons. Prin. discurs. 6. in rubr. de qualitatib. quas Thucyd. c. 2. Hippolit. à Collib. d. t. pag. 145. Rutger. Ruland. in tr. de Commissar. p. 1. l. 1. c. 8. n. 4. Et seq.* cum in iis hominibus, qui ad ardua ten- dunt & aliquem Divinitatis locum obtinere cupiunt, ma- xima ingenii subtilitas requiratur. Verum enim vero, cum tali subtili ingenio præditi magis turbare, quàm con- servare soleant statum publicum, quod plurimis exemplis ad *Disput. Præsidi: nuperrime habitæ, de Ortu & Occasu Au- licorum demonstratum.* Talia enim, subtilia & ignea ingenia, quæ in assiduo motu versantur, novandis magis, quàm gerendis rebus aptiora sunt: & suo magis è cerebro

C

ne-

nectant consequentias, quam ex usu vitæ rationes ducunt
*Curt. lib. 4. Thucyd: lib. 3. Et ut à Stagyrita notatum est apud
Senec: de tranquill. Vit. rarenter invenias magnum ingenium
sine mixtura dementiæ: ut non immeritò Euripides cecine-
rit: Mens quæ sapit nimium, non sine damno sapit. Præ-
stat igitur relictis acerrimis illis ingeniis mediocria elige-
re, prægrandia enim præ multiplici inventione plerumque
nutant, & agrè expediunt aliquid, cui insistant.*

T H E S.

XI.

ATtendi, tñ. etiã solet in Consiliario forma Corporis di-
gnitati conveniens, ac bona corporis constitutio non
mutilata, aut aliquo vitio laborans. Consiliario enim plu-
rimilabores in itinere præsertim obeundi sunt, qui corpus
bene constitutum exigunt: Corpus enim bene constitu-
tum sit oportet illi, cui longitudo itineris, asperitas via-
rum, navigandi difficultas, perpetienda sunt. *Rutger. Ru-
land. in tr. de commiss. part. 1. lib. 1. cap. 11. per tot. Francisc.
Vayer de Consiliar cap. 2.* Et perfectum corpus hominem in-
tegrum ornat & ad maximas quasque disciplinas idoneum
reddit; species enim corporis est simulacrum mentis &
figura probitatis *Ambros. lib. 2. de Virg: Testis quoq, Eumeni-
us in Paneg: ad Constant: Nec frustra doctissimi viri dixe-
runt naturam ipsam magnis mentibus digna corporum
domicilia largiri. Præclarè advertit Curtius lib. 2. in cor-
porum venustate venerationum inesse, magnorumque
operum non alios capaces putat, quàm, quos eximia specie
donare natura dignata est. juxta poëtam: Grator est pul-
chro veniens è corpore virtus. Tiraq. de lib. Conn. gl. 1.
p. 2.*

p.2. n.40. Contra verò in corpore deformi raro animus nobilis residet. Hinc Jurisconsulti tradunt incompositum corpus, in aequalitatem mentis indicare, & à postulando aliisque muneribus Leges repellunt eos qui notabili aliquo vitio corporis laborant *tot. tit. ff. de Postul. & adilit. Edict. Vid. Bentabol. in Pepertoc. verb. corpus.* Plus enim autoritatis habent homines benè proportionati, & propterea iidem hominibus magis sunt acceptabiles. Sic Catonem referunt in Legatos populi Romani quorum unus fœdas cicatrices ferebat, alter pedibus laborabat, in hunc modum jocatum; Mittit populus Romanus Legationem, quæ nec caput nec pedes habet. *Gentil: de Legat. c. 3. Lib. 3.*

T H E S.

XII.

Staturam Consiliariorum quod attinet, quam plurimè Politici eam approbant, quæ non sit nimis proceræ, seu gygantea; nec & nimis parva, seu pygmæa. Proceræ enim supra modum staturæ plerumque solet esse magnus defectus. Ita refert Aristot: in corpore procero parvam habitare virtutem. Nimis autem parvæ staturæ homines plerumque sunt iracundiores, & temeritate magis quam Judio feruntur, & populi irrisioni expositi, autoritate debita excidunt. Si autem in eo peccari necessum est, meliùs erit destitui non nihil staturæ, quàm modum in ea excedere, referenti *Castigli in suo Cortegiano lib. 1. D. 3.* Formam faciei quod attinet, non muliebrem & delicatam; Pulchritudo enim, non quam roseis in genis depinxit color, sed viro dignam desideramus, quæ sit gravis & jucunda,

Refert enim Cicero Venustatem proprium esse mulierum, dignitatem Virorum. Imprimis autem habilitatis corporeæ index est vultus comitas. Itaque Vultus debet esse graciosus & placidus, bonosque mores præ se ferens.

T H E S.

XIII.

VArii autem generis Consilarii à Politicis constitui solent, neq; certus numerus determinari, ut enim magistratuū, propter magnitudinē administrandorum in Rep. negotiorum certus non potest constitui numerus, sic nec Consiliariorum. Quemadmodum enim variant Rerump. species ita & officiorum dispositiones; est itaque numerus Consiliariorum respectu Reip. constituendus. An autem nimis magnus Consiliariorum numerus publicis negotiis rectè dirigendis conveniat? Inter Politicos solet controverti, qui tamen negativam communiter amplecti solent. Nunquam enim majus Reip. potest imminere periculum, quàm si temere habeantur & omnibus manifesta fiant consilia. *Hippolit. à Collibus in tr. de Principe cap. 9. in fin.* Sic Carolus V. Imperator ultra quatuor Consilarios non adhibuit in arcanis rebus. *Vid. Heresbach. de Rep. cap. 2.* Quod in regno Gallia & Svecia sanctissimè observatur, ubi pauci, præprimis ad secretiora consilia admittuntur. Non tamen consultum, ut uni homini omnes labores conferantur; cum enim unus aliquis omnes causas sustinet, tum & ipse ferendo oneri parū sufficit, & negotia tardius eunt, & quorum res agitur sumptus majores cum temporis jactura facere coguntur. Cum verò quisque curat quod sit sui muneris, negotia citiùs meliùsque expediunt.

diuntur, nec unus infinito labore obruitur, homines præ-
terea & municipales & externi minori cum sumptuum &
temporis jactura domum revertuntur, *Andr. Frid. Modren.*
v. de Rep. emend. 10.

THESIS

XIV.

Solent autem Consilarii dividi in Ordinarios & Extra-
ordinarios. Ordinarii sunt, quorum consiliis aut sem-
per aut sapius in Rep. bene gerenda opus est. Extraordi-
narii (inter quos & solent referri *die Consilarii von Hau-*
se aus. Vid. Limneus in addit. ad Dan. Ottonis jus Pub. 456.)
sunt, quorum consiliis non semper, sed interdum occur-
rente occasione indiget Status sive Resp. Dantur & hodie
Consilarii intimæ admissiois, Consilarii Status, Consi-
liarii Consistoriales, Consilarii Camerales, Consilarii Le-
gationis, Informationis, Consilarii Venationis, *Kirch-*
Räthe/Musungs-Räthe/ item, *Land-Räthe/Forst-Räthe/*
Grans-Räthe/Ampst-Räthe/ ita ut hodie titulus iste eò
excreverit, ut vix enumerari possit.

THESIS.

XV.

Communiter & solent dividere Consilarios in Politi-
cos & Ecclesiasticos. Politici solent deliberare de
omnibus iis rebus, quæ ad statum politicum pertinent, &
præprimis de Bello ac Pace, an expediat bellum suscipere,
an eligere pacem, prospicere unde sumptus commeatus &

varia armorum genera desumere liceat. Deinde an fœ-
 dera ineunda cum exteris, sic & prospicere necesse habent,
 ut iustitia recte administretur, unicuique suum tribuatur.
 Ecclesiastici suut, qui rationem cultus divini habent, & sa-
 crorum ritus curant, ne religio patiatur damnum. Horum
 autem non negligens esse debet cura. Ut enim, *ut refert*
Lipsius in monitis Polit., qui domum moliuntur, à funda-
 mentis domesticis, sic nos qui Remp., à fulcro & velut basi
 ejus oriri debemus. Sine ea enim societas non erit, quia
 non fides, non iustitia, non virtus: sed fraus, licentia & pro-
 tertivitas, & uno verbo, confusio hominum ac rerum. Quod
 frænum erit peccaturis? Quis metus satis validus? Esto
 igitur vinculum & firmamentum Reip. Religio. Sic &
 omnino prospicere debent, ut idonei Viri sacris præfician-
 tur & bona ecclesiastica rectè per viros fide dignos admi-
 nistrentur.

T H E S.

XVI.

IN dando autem consilio præprimis respicere debent ad
 salutem publicam, salus enim populi suprema lex esse de-
 bet. *Nov. 149. c. 3.* Nulli namque magis convenit, salutem
 Reip. tueri, quàm Consiliario *arg. l. 3. ff. de offic. præfect. Vi-*
gil. l. 23. C. & Nupt. suisq; consiliis, suisq; laboribus, pro
 toto Reip. statu die noctuq; laborare debet. *l. 7. in f. l. 7. C.*
quadriennii præscript. lib. 2. T. tit. 52. & 55. in pr.

T H E S.

XVII.

TRia autem in dando consilio attendere debet Consili-
 arius, præterita nimirum, præsentia, & futura: præteri-
 ta

ra ita ponderari debent, ut probè perpendat an nimirum hoc vel illud ab antecessoribus in eiusmodi rebus ratum consilium præsentis statui sit accommodandum. Præsentia bene sunt ponderanda, quoniam propter occurrentia instituitur consultatio. Futura, quando nimirum illa tractat ad conservationem statûs ut & aliquando abesse possunt.

T H E S.

XVIII.

AN autem Consiliarius in tantum officium & conscientiam extendere possit, ut & non requisitus, Principi urgente extrema necessitate consilium suppeditare teneatur dubium moveri solet. Notum enim est illud Catonis: Ad consilium ne accesseris, antequam voceris: & is qui consilio dando se ingerit, nimis curiosus videri possit, & suam prudentiam majoris facere censeatur, quàm Principis & aliorum Consiliariorum. Verùm hisce non obstantibus saniores Politici in ea sunt opinione, Consiliarium in rebus magni momenti, urgente necessitate, quod sibi videtur, etsi non requisitum & rogatum Principi ob utilitatem publicam denunciare posse. *Vid. Hipp. à Collibus in tr. de Consil. p. 209.* Sic Cato, cum de aliis rebus in senatu confuleretur, ultrò consilium suppeditavit, delendam esse Carthaginem. Et *Tacit. lib. 2. Annal.* dicit: A Majoribus concessum egredi aliquando relationem, & quod in commune conducirer loco sententiæ promere, quod tamen tempestivè facere debet Consiliarius, & re prius exactè & diligenter examinata uti elegantissimo, admonet *Hipp à Collib. in suo Consil.* Id autem omnino cavere debet Consiliarius
ne

ne omnibus Collegis suis contradicat, bene enim perpendere debet, an contradictione sua utilitati publicæ noceat, de quo conqueritur *Abasverus Fritz: in suo Ministro Peccante quando dicit: Laborant Ministrorum nonnulli hoc vitio, ut autoritate sua, qua apud Principem pollent, abutentes, aliis in medium bene consulentibus semper contradicere soleant, quando ipsi meliora aut saniora consilia adferre nesciant: quod ut publico perniciosum, sic in se culposum ac reprehensione dignum.*

T H E S.

XIX.

Controverti etiam solet, an, si Consiliarius in Concilio quæstionem proponendam sciat, cui salvâ conscientiam consentire non possit, morbum aut aliud legale impedimentum simulare eoq; die domi se continere possit? Dubitandi ratio suppeditari possit, quia tutius in senatû non venire, quàm in aliam trahi sententiam, & adversus conscientiam agere, is enim culpa carere videtur, qui in iniquas res non consentit. Verùm contrarium ex thesi præcedenti manifestè apparet. Si enim non rogatus boni publici causa consilium dare Principi meo teneor, ita multò minùs salvâ fide & conscientia tale impedimentum prætereundum possum. Quemadmodum enim gubernatori navis, cursus secundus, medico ægroti salus, Imperatori victoria: sic Ministro publico Dei gloria, Principisq; sui & Reip. utilitas intenditur: ac in eam rem toto animo ac studio incumbere, nullique negotio se subtrahere debet, de quo Poëta:

*Tu civem patremq; geras, tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.*

Tan-

Tantum igitur abest, ut hæc sit legitima absentiae causa, ut Consiliarium contra eò magis urgere deberet senatum de die ad eundem. Occasio enim rerum graviorum veros à cæteris distinguit Consiliariis: Ita ut hac de re utilissimam proponat legem *Cicero de Legibus*: Senatori qui nec aderit, aut causa aut culpa est. Boni enim Consilarii est semper in senatum venire. *Hipp. à Collibus in tr. de Consil.*

T H E S I S

XX

NUm autem Consiliarius cogitationibus & rationibus posterioribus motus sententiam mutare possit, dubitari potest; quoniam præprimis Consiliarium oportet esse constantem atq; imperterritum, neq; enim bonum virum decet levissimis mutari. Attamen cum melius sit corrigere errorem quam persistere in illo, propterea urgentibus argumentis & rationibus re adhuc integra in melius commutare consilium omnino concedendum. Magnæ enim sapientiæ est, revocare hominem, qui male locutus est, inquit Pontifex in *C. magna. 22. q. 2.* sic & Juris consultus absq; famæ læsione consilium suum mutare potest, *arg. C. fin. l. d. furt. Cujac. 2. obs 37. Cagnol ad l. 25. n. 41. & R.* Nec enim præterea quis levitatis notam incurrere potest. Nemo enim eruditus, teste Cicerone, mutationem consilii inconstantiam appellare potest. Restaret quidem & notare, quomodo in dandis consiliis peccet Consiliarius, qui vel magis Principem, quam decet timet, magisque Principi quam Deo placere studet, aut qui in gratiam Principis injustam causam defendit, aut metuens indignationem, niqua consilia & actiones tacendo approbat, aut in consi-

D

liis

liis & actionibus id quod Principi utile, non quod honestum, respicit. Verum quoniam Ahasverus Fritschius Consiliarius Schvartzburgensis hac integro tractatu de peccatis Ministrorum Principis nuperrime doctè descripsit, lectorem ad eundem remittimus.

T H E S.

XXI.

Quæritur autem inter Politicos, an Clerici sive Ministri Ecclesiastici in Consiliarios Principis laici eligi possint? Notum enim & quàm notissimum est, quòd omnes fere & præprimis Romano-Catholici affectare imò annixè etiam sollicitare soleant officiis Politicis interesse & locum in Cancellariis Principum vel etiam in Curia quærere; Verum enim verò cum ab istis hominibus Status Politicus magis turbari quàm tranquillè administrari soleat, juxta illud vulgatum:

*Wo die LandsKnechte sieden und braten
Auch die Pfaffen zu Weltlichen Handeln geraten/
Und die Weiber haben das Regiment/
Da nimpt es selten ein gut End.*

Et hoc etiam præprimis contrariatur mandato & exemplis Christi & Apostolorum, nam ille non solum ipse noluit mundanis curis se immiscere, sed & quamplurimis in locis hoc omnibus Apostolis prohibuit, & propterea, quòd proximiores accedant exemplo Christi & Apostolorum, eò sanctiores sint, idcirco talia officia politica neque affectare neque ad illa admitti debent. De jure enim Civili personis Ecclesiasticis immunitates concessæ, ut possint omnibus aliis derelictis, ministeriis Dei Omnipotentis inhære.

re.

re. *l. Generaliter. 52. C. de Episcop. & Cler.* Opprobrium enim est Clericis si periti esse velint disceptationum forensium, *l. repr. C. de Episcop. & Cler. l. placet 7. C. eodem & absurdum foret, si promiscuis actionibus rerum turbentur officia, & alii creditum alius subtrahat l. 2. C. de testament.* non deceatque Presbyterum publicis se administrationibus immittere, sed vacare, & se commodum exhibere usibus ecclesiasticis. *can. Apost. 8. quest. 5.* Si tamen de causis fidei & religionis deque Spiritualibus controversiis deliberandum, omnino etiam admittendi sunt.

T H E S.

XXII.

Huc tandem & applicari potest quaestio. An Princeps novus Imperii successor sui praedecessoris Consiliarios mutare & à se dimittere debeat? Non facile hoc fieri posse ratio illa, quod omnis mutatio sit periculosa, suadere vult, ab illis enim novus successor multa gubernationi utilissima addiscere potest. Ita & Ludovicus II. Galliarum Rex filio suo Carolo hoc consilium reliquit, ne quid mutaret in administratione regni & antiquos amicos, familiares & ministros retineret. Si tamen Princeps ille novus à talibus Consiliariis antecessoris sui varia injuriarum genera quamplurimasque offensas passus est, ita ut ipsi successionem disputare & penitus invidere non erubuerint, tum non solum illos dimittere, sed & poenis, pro delictorum acerbitate in illos animadvertere potest.

D 2

CO-

COROLLARIA.

QUÆSTIO

I.

Utrum usus strategematum in bello sit licitus.

Affirmativam amplecti placet, has præcipuè ob causas, quòd primò, jus divinum illa concedat, & non modò tacito consensu comprobaverit Deus ter Optimus Maximus, sed & expressis in mandatis Davidi dederit, ut per insidias tantùm Philistinis victoriam suffuraretur; uti testatur *locus 2. Samuel. 5. v. 23.* itidem *Josua 8. v. 2.* vel alibi alia passim obvia loca. Deinde exemplis etiam suis in eos confirmant Principes ac Reges sanctitate satis splendidi, qui à pietate sua haut alienum putarunt hostibus suis insidias parare, iisdemq; eos vincere, sic Ladislaus Rex Pannoniæ ubi in bello ad versus Polonos occupatus, obsidio Cracoviæ animum intendisset, quò expugnationem properaret, montem vicinum noctu farina consperfit, & ita oppidani copiarum opinionem sibi facientes, ratique Regem non destitutum, sese dediderunt. Tum etiam longè feliciora æstimanda sunt ea prælia, quæ mente ac ratione mediantibus feliciter cedunt, quàm quæ cumulata hominum cæde vix ac ne vix quidem sustinentur, imò illa sola vocanda esse prælia, hæc verò fortuita tantùm fata videntur; cui subscribit *Vegetius* his puta verbis: *Boni Duces non aperto Marte prælium, in quo est commune periculum sed ex occulto semper attentant, ut integris suis quãtos possint interimant, vel certè terreant.* Itidem *Periclis* Sententia multorum calculis confirmata: *Tutiùs esse imò præclariùs ingenio hostem & ratione quam*

quàm ferro vincere. Neque naturalis ratio usum hunc strategematum disuadere videtur, nam per insidias hostium vim frangere totumq; cedere juri naturali magis consonum esse, cum omnium ferme saniorum politicorum consensu statuo, quàm si aperto Marte pugnetur, cui multi-
juga variaque incommoda neutiquam tolerabilia certissimi sunt comites, Etenim quis non videt (ubi hoc bellandi genus valet) religionem exulare, virtutes degenerare, multorum innocentium sanguinem largè profundi, regiones vastari, & quæ sunt hujus generis alia multa victoriam licet partam malis suis foedantia? quam præcipuè ob causam Spartani Duces si rem dolo astuque confecissent, bovem immolabant, sin prælio, gallum. Nihil proinde efficere Euripidis, quod aliàs in contrarium objicitur, dictum: *non esse viri generosi clanculum hostem occidere;* vel ex hoc constat, quòd dicti hujus vis tantum sese extendat ad privatas inimicitias. Tum etiam in Scholis Philosophicis non quis dicat, sed quid dicatur attendendū. Cœtera, quibus affirmativam oppugnare attentant, sunt minora quàm ut gravioribus misceantur. In hoc tamen sedula cautione opus, ne debita fides belliq; jura violentur.

QUÆSTIO

II.

An Princeps Christianus datam heretico fidem servare teneatur.

HAnc quæstionem satis sufficienter jam olim fuisse disputatam liquidò patet, ita ut ulteriori ventilatione haud indigere ducam: placet tamen eandem (licet captum
D 3 meum

meum transcendere videatur) paucis jam persequi, & in affirmativam declinans statuo Principem Christianum datam hæretico fidem sive juratam sive injuratam omnino servare debere: & primum, quo me tueor, argumentum ex sacrarum pandectarum locis uberrimis depromptum habeo, in quibus Deus Ter Optimus Maximus fidem suam populo judaico, quamvis idololatriâ, superstitione atque hæresi gratiam, quam apud summum Dei Numen inierat quam maximam, supra modum fœdarit, *ut constat ex lib. 2. Regum cap. 21. v. 9. 11. lib. 2. Chron. cap. 33. v. 9. &c.* eodem quo contractam modo, Servandam promisit. *Ps. 89. v. 34. & seqq.* etiam servavit, non quod integritate vitæ præstaret hic populus, sed quòd memoriam teneret fœderis sui, datæque fidei, quam constantem immutatamque non servasset, si omnium justissimus justitiæ alienum non judicasset contractibus atque pactionibus contravenire. Si itaque Jehova, cui neutiquam non in eo dispensare fuisset licitum, fidem suam datam servavit propter nomen veritatemque suam, quid ni & Principes Christianos in his terris itidem Dei vicem gerentes nomen veritasque eorum obliget fidem suam, hæreticis datam servare. Naturæ imo obligationum repugnare expertissimi juris est, absurdum enim est statuere in contractibus id attendi debere quod alteri tantum contrahentium videretur, cum aliter constare non possint pactiones conventionesque hominum quam ex eo, quòd utrique mutua erga se consensione placuerit. Plura apponere supervacaneum judico, cum quaestio hæc multis ab Autoribus sit decisa. Sed Lectorem ad *Questiones practicas Jacobi Schultzens questione 70. ubi de hoc pluribus, remitto.*

QUE-

QUÆSTIO

III.

An propter fines imperii seu territorii ampliandos duntaxat, bellum sit gerendum.


Hujus quæstionis negativam propugnare suadent Chineses, qui pro immensa sua sapientia [quâ tantâ ornatos se judicant, ut etiam dicitur hocce: Chineses duos habere Oculos, Europeos unum; & quod hominum est reliquum, cæcutire, maximè ipsis sit familiare] imperiū muro cinxerunt, præ se ferentes, finibus esse contentū magis è re Reip. esse, ac alienorum bonis inhiare, iisq; terminos laxiores reddere. Est vero horum Chinesium generale imperii axioma satis firmis subnixum rationibus & ad juris naturalis præcepta satis cultè conditum, puta: Honestè vivere, Neminem lædere, Suum cuiq; tribuere. Quæ præcepta ac regulæ, si quilibet magistratus (*qui nimirum bellandi jus habet*) imperii sui peripheriâ contentus est, non violantur; è contra verò si dilatandi imperii ergò bellum suscipitur, neq; non vicini afflictionibus multijugis cumulantur & sic læduntur, neq; quod ipsorum est, illis tribuitur. Constat igitur ejusmodi bella è diametro juri naturali repugnare. Tum etiam propter injuriam illatam vindicandam, & ad ea, quæ ablata, repetendū tantū adinventū esse bellū tam est certū, quàm quod certissimū: verum non, ut ea quæ nunquam ad se spectarunt, potestati tuæ belli vi transcribat. Est præterea periculum sanè præsentissimum in eo positum, si, qui desiderantur, vi subjugantur; animo enim semper hostili sunt adversus domitorē suū, & nihil

nihil impedit, quin proxima occasione ad hostē deficiant,
nam & victis non rarō


--- --- *redit in praeordia virtus:*

Unde non male olim princeps Tartarorum captum Re-
gem Ruthenorum non necessarium bellum moventem
interficiens ex ipsius calvaria poculum inauratum fieri
jubens hæc verba inscripsit: *Hic appetendo aliena amisit
propria.* Cui similia exempla de Cræso & Jugurtha Numi-
darum Rege jungi possent; sed cupido lectori ut *Lipsi-
um d. l. 5. Polit. c. 3. Casum lib. 1. Polit. c. 5.* conferat
suadeo.

T A N T U M.



Ad



Ad Nobilissimum Dominum Authorem &
Respondentem.

Consilii pollet qui dexteritate, fideq̄

Emicat in rebus dubiis, hic ritè cluebit

Terq̄ue quaterq̄ue probus. Quoniam, Doctissime
CATTE,

Tu Nobis *solido* describis *Lemmate Talem*;

O minor hinc: Olim quoque *Talis* habebere, *sani*

Consilii poteris qui *dexteritate fideq̄*

In dubiis *Patriæ* rebus succurrere. *Fiat!*

Ita vovet animitus

LUDERUS Kannengiesser / *Illust.*

Gymn. Anh. *Rektor*, & S.S. Th. & Phil.

P. P. *Primarius*.

E

Rite

Rite queat Procerum quis *Consiliarius* esse,
Et quid eum deceat, dedebeatque, doces.
Sic simul egregii specimen prælustre laboris
Profers, & dignum *Nobilitate* Tua,
Pergito, quò solers pergis; sic fiet, ut olim
Consiliis Proceres ipse juvare queas.

Ita gratulatur

P R Æ S E S.



Truncus iners propriâ teritur Respublica mole,
Hanc nisi *Consilii* spiritus intus agit:
Nec tituli, procerumve decus, nec gaza, nec arma
Quid sine *consilii* dexteritate valent.
Consiliis opus est, seu frondent pacis olivæ;
Seu fera pestifero bella furore furunt.
Consiliis opus est, ne Vero concolor Astus
Ingenua sceptrum pro pietate gerat.
Consiliis opus est, geminato ne malè censu
Tondendas princeps glubat avarus oves.
Consiliis opus est. Hinc *Consiliarius* amplâ
(Quis dubitet?) Reges prosperitate beat.
Cætera quid memorem, quæ Tu, prænobilis Autor
Eximio scripto (gratulor, euge!) refers.
Qui doctis placuisse viris potes inde; sed olim
Principibus poteris consuluisse viris.

L. mg. f.

J. TABING.

Est pulchrum digito monstrari, & dici: hic est,
Qui laudem meritis, celebrisq; encomia famæ.

Sic de *Consiliis* quoniam cultissima promissis,


Jure Tibi merito succrescit adorea laudum.

Gratulor! Hem porrò summus moderator Olympi

Adspiret cœptis & det potiora. Valero.

Gratulab: app:

Ernst Henrich von Hanffstengel.



Nobilis ingenii dotes ostendis *Amice*,

Dum de *consiliis* docto jam differis ore.

Perge bonis avibus, FELICITER omnia cedant,

Gratus sis Patriæ, multo celebreris honore!

*Hæc paucula intimo meo adponere, ut
debui, volui,*

Hans Adam von Werder.

•••••

Epiphanius digno monentur & dicitur hic est
Sicut de consilio quoniam de illius promissis
Iure tibi merito fuerit adorea laudum
Gratias! Item poro sumunt addecorat Olympi
Adhuc coepit & de posteriori Valerio

Gratias
Gratias deinde non desinam
Gratias inquit dicit ostendit dicit
Dum de consilio deo jam dicitis ore
Perge bonis viribus FELICITER omnia cedant
Gratias lae fatis multo crebrius honorat
Hec parca in timore non parca ut
debet velle
Dum deinde non desinam

etiam



V017


ULB Halle
003 252 043

3



Sb.





B.I.G.

Farbkarte #13

omiss. M ✓

119.

16754

1-

O POLITICA

E

LIARIIS.

AM

NTE AC PA-

ANTE,

I D E

o atq; Excellentissimo

O à CAPPELN

in Illustri Anhaltino

meritissimo

am sistit

REICH KATTE.

Magd.

Septembr.

consuetis.

STÆ,

EL. M DC LXXV.

